

¶ (I.) ¶



JOVA JUVA!

Exercitatio

DE LITERIS ELIÆ SCRIPTIS AD JORAMUM
REGEM JUDA.

2. Paralip. 21. vers. 12. ad 15.

PRÆLOQUIUM.



NON contemnendum est Argumentum, quod ab ignorantia eorum, quae in his terris geruntur, desumunt Orthodoxi, ut impugnent Sanctorum Invocationem; absurdum quippe est, preces dirigere ad eos, qui è consortio mortalium exempti, ea, quae in inferioribus fiunt, sigillatim non norunt. Dum autem Pontificii sentiunt, se premi, varias induunt formas, ut notitiam sublunarium denatis competere evincant, modo enim ad speculum Trinitatis confugiunt, in quo sanctos omnia videre dicunt; modo ad specialem revelationem, quae interveniente preces viventium cognoscant, se recipiunt. Audacter quoque provocare solent, ad literas, quas Elias misisse fertur post decessum suum ad Regem Joramum, quamvis autem secundum mentem Adversariorum, Elias non ascenderit in Caelum beatorum, sed per turbinem delatus sit in Paradisum terrestrem, ibidemque delitescat cum Enocho, ejus tamen exemplum hac in causa maximopere urgent, & exinde inferunt; Si Elias peculiari quadam ratione se motus à conversatione mundana habuerit exactam cognitionem de vita, & rebus gestis Regis Jorami, neutiquam negari posse quin etiam sanctis denatis, admissis ad conspectum DEI, mortalitate exuta, constet de iis, quae in his terris peraguntur. Quan-

A

si